

**Tentamen medica inaugurale, de catalepsia ... / eruditorum examini subjicit
Franciscus Georgius Probart.**

Contributors

Probart, Francis George, -1861.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/z6zjjgsn>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

CATALEPSIA.

James Woodford Esq. M.D. &c.
with the author's initials 1800

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

CATALPESIA;

quod

ANNUNTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGI BARRON SS. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAELECTI,

RECTOR

INAUGURALE

APPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

DE

Pro Gradu Doctoris,

FRANCISCO JOSEPHO BARRON SS. T. P.

CATALPESIA

FRANCISCO JOSEPHO BARRON SS. T. P.

FRANCISCUS GEORGIUS PROBAT,

Magister

FOUNT WELLS, EDINBURGH, 1844.

WELLS, EDINBURGH, 1844.

.....Stipend. obtinuit hunc gradum in uno.—Vinc.

Ad Calendarium Augusti, hunc locumque solitis.

EDINBURGH:

EXCURSAT P. NEILL

WELLS

(11.)

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

CATALEPSIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN *MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS GEORGIUS PROBART,

Anglus,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.

NECNON PRÆSES ANNUUS, &c.

. Stupet, obtutuque hæret defixus in uno. — VIRG.

Ad Kalendas Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDĒBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

(11)

ANDREAE DUNCAN, M.D.

IN GYMNASIO KIMBLESI PROFESSORI PUBLICO;
PUBLICARUM SCIENTIARUM
AD PRIMUM MEDICINAE ET ANATOMIAE PROMOVENDAS
ET ALIIS SCIENTIIS

FRANCISCO GEORGIUS PROBART.
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS

FRANCISCO GEORGIUS PROBART.
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS

FRANCISCO GEORGIUS PROBART.
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS

FRANCISCO GEORGIUS PROBART.
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS

FRANCISCO GEORGIUS PROBART.
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS
ACADEMIAE KIMBLENSIS ACADEMICUS

M.DCCCXXV

ANDREÆ DUNCAN, M. D.

IN GYMNASIO EDINENSI PROFESSORI PUBLICO ;
PLURIMARUM SOCIETATUM,
AD REM MEDICAM, ET SCIENTIAM PROMOVENDAS,
ET APUD SUOS,
ET APUD PEREGRINOS,
SOCIO ;
INCLYTE NATIONIS SCOTICÆ
ARCHIATRO ;

HASCE THESES

D. D.

FRANCISCUS GEORGIUS PROBART :

VIRO
ACERRIMO INGENIO ;
VARIA, ET MULTIPLICI DOCTRINA ;
MIRA INTEGRITATE VITÆ ;
QUI,
JUVENIS, MEDICINAM FELICISSIME EXERCUIT ;
SENEX, EANDEM UTILISSIME DOCET :
MIRANTIBUS CUNCTIS,
INVIDENTE NEMINE,
QUOD,
ANNUM AGENTI OCTOGESIMUM SECUNDUM
TANTUS VIGOR,
ET CORPORIS ET INGENII,
SUPERSIT,
UT,
PUBLICIS MUNERIBUS,
PRIVATIS OFFICIIS,
HIS, AMICORUM DELICIE,
ILLIS, DE PATRIA OPTIME MERITUS,
SUFFICIAT.

ANDREAE DUNCAN, M.D.

IN CYNARIS MEDICIS PROFESSORI TORLONIAE
VIRI SPECTABILISSIMO
AD REM MEDICAM ET SCIENTIAM ANATOMICAM

GUILIELMO GULLEN, M.D.

ET ANTO ANATOMICO

ET ANTO

INSTITUTIS NATIVIS NOTITIA

DE ANATOMIA, PHYSIOLOGIA ATQUE PATHOLOGIA

TRACTATUS

ERUDITISSIMO PERLECTO ET FACUNDISSIMO
FRANCISCO GEORGIO PROBAT

NEQUE MAGIS SUMMA SCIENTIA

ACQUIRITUR

QUAM ANIMI INTEGRITATE

ET ANTO ANATOMICO

MOERORE I ACILLATE

QUI

IN RE MEDICIS ANATOMICIS EXERCIT

IN RE ANATOMICA EXERCIT

HOC, QUALIBETQUE SUI, OPUSCULUM

EXCERPTUM

MAXIME DIGNUM

ANNO MDCCCXXXIII

CONSERVAT

TANTO VIRO

ET ANTO ANATOMICO

IN

AUCTOR

INSTITUTIS NATIVIS

TRIVIAE ANATOMIAE

IN ANTO ANATOMICO

IN ANTO ANATOMICO

IN ANTO ANATOMICO

ETIAMQUE,

VIRO SPECTATISSIMO,

GULIELMO CULLEN, M. D.

&c. &c. &c.

DE ANATOMIA, PHYSIOLOGIA ATQUE PATHOLOGIA,

EDINBURGI,

ERUDITISSIMO PRÆLECTORI FACUNDISSIMOQUE ;

NEQUE MAGIS SUMMA SCIENTIA,

QUAM ANIMI INTEGRITATE,

MORUMQUE FACILITATE

CONSPICUO ;

HOC, QUALECUNQUE SIT, OPUSCULUM,

MAXIME DEVINCTUS,

CONSECRAT

ALUMNUS EJUS,

AUCTOR.

GUILIELMO GULLEN, M.D.

IN DOCTRINA

DE ANATOMIA, PHYSIOLOGIA ATQUE PATHOLOGIA

EXERCITIO

CATALUNDA

AUCTOR FRANCISCO GEORGIO L'ORRIER

Cum leges hujus Academiae in unum collectae ho-
norem eius summas affectionem, dissertationem
de aliquo argumento medico scripto selecto, in
studiis profectis testimonium perscribere et tunc
postulerent, ut hinc regulae antistatorem, Catalun-
dianam, de qua sententia mea explicarem, propo-
sui. Neque mihi de hoc morbo rarissimo et ma-
xime insigni scribere casu vel libidine tantum
evenit; exemplum enim eius attentione animi
dignissimum mihi ipsi curandum super occurrit;

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

CATALEPSIA.

Auctore FRANCISCO GEORGIO PROBART.

CUM leges hujus Academiæ unumquemque honores ejus summos affectantem, dissertationem de aliquo argumento medico a seipso selecto, in studiis profectûs testimonium, perscribere et tueri postulent, ut huic regulæ satisfacerem, Catalepsiam, de qua sententias meas explicarem, proposui. Neque mihi de hoc morbo rarissimo et maxime insigni scribere casu vel lubidine tantum evenit; exemplum enim ejus attentione animi dignissimum mihi ipsi curandum nuper occurrit;

quod illi curationi simplici feliciter succubuit, quæ in talibus nervosis affectibus laudatur a Dre HAMILTON, viro illo venerando et eximio, qui nuper Nosocomio hujus urbis Regio fuit medicus primarius, et cujus liber de Purgantium in morbis tractandis Utilitate, non modo honorem auctori sempiternum contulit, sed etiam generi humano beneficium nunquam plene æstimandum imperitiit.

Nunquam aliud exemplum eadem ratione feliciter tractatum conspexi, ideoque, quod tam expedite exsuperavi, in medium proferre mihi multo gratius evadit.

Antequam autem, ad meum exemplum exponendum progrediar, haud a re præsentis fortasse alienum erit, paucas observationes generales de morbo ipso, ut ab aliis describitur, simul cum iis quas mea experientia suggestit, referre.

Nullus morbus, nisi forte Hysteriam excipiamus, formas, quam Catalepsia, plures diversas accipit; ex hinc factum est, ut in ejus historia, ab auctoribus diversis enarrata, symptomata adeo raro eadem recensita fuerint; ideoque diversitas, cur aliqui talem morbum existere minime crediderint, causa fuit. Itaque CULLENUM ipsum celeberrimum.

omnia exempla morbi Catalepsiæ nominati, memorata, ficta omnino esse asseverantem, et talis opinionis causam, quod ipse exemplum nullum unquam vidisset, confitentem reperimus. Hoc a medico, qui tot ægrotantes curaverat, et tantas facultates morbos videndi habuerat, ita dici mirandum est; simul vero, opinionem Catalepsiam non omnino existere, quia ipse nunquam conspexisset, expressam, ei animo liberali philosophis medicis adeo optabili vix convenire, concedi debet. Equidem, si opinionem proferre licet, plurimum causæ, cur Catalepsiam morbum esse discretum, æque ac multos alios ab illo inter nervosos collocatos, credamus, nos habere arbitror. Quoties, verbi gratia, Hysteriam formas Epilepsiæ gravissimas fingentem conspiciamus? Nonne aliquando vestigia Tetani quam arcte persequitur? Annon sæpe, eam inter et Choream discernere, discrimen difficillimum accidit? Si igitur Catalepsia loco in nosologiæ systemate indigna est, talium systematum opifices Hysteriam quoque rejiciant, immo etiam Choream retinere vix operæ pretium erit; et has omnes varietates ad genus Epilepsiam referant. Si enim ulla ex his, præ cæteris, indiciis propriis melius insignitur, eam esse Catalepsiam

contendo ; in qua, quæcunque fuerint symptomata comitantia, id indicium insigne, quod partes statum et positionem, quam ante accessionem habuerant, vel inter eam receperint, etsi insolitam et incommodam usque retineant, semper adest. Si, porro, Catalepsia tantummodo species sit Hysteriæ, ut quidam profecto putârunt, multo frequentius accidere oportet ; nullum enim malum posteriore sæpius occurrit, et, ut jam dictum est, plerosque alios affectus, priori excepto, morbosos imitatur. Quinetiam, Hysteria adeo raro mares infestat, ut a plurimis, mulieribus propria esse credatur ; dum contra Catalepsiæ notæ peculiare, si non tam sæpe quam in his, frequentissime tamen in maribus, ætatis diversæ, observatæ sunt.

CULLENUS ait, si talis morbus existat, formam esse Apoplexiæ oportere, ideoque in sua Nosologia, quasi varietatem istius morbi descripsit. Quare ille vir egregius talem sententiam vindicaverit, prorsus nescio ; multa enim Apoplexiæ symptomatum gravissimorum in Catalepsia omnino desunt. Nullus, videlicet, spiritus stertens est, nulla projectura oculorum insignis, nulla pupillæ dilatatio ; contra, hæc lucis stimulum bene sentit, et si sensus motusque voluntarii in hoc ut in illo

morbo abolentur, id tantum pro tempore et per paroxysmos accidit. Denique, igitur, satis esse testimonii puto, Catalepsiam vere morbum esse peculiarem et discretum videri; et hoc ita dicere licet, cum ad auctoritatem philosophorum plurimorum, veluti VAN SWIETEN, SAUVAGII, et BURSERII, respiciam, quorum iudicium et veracitatem dubitare nefas esset, et qui exempla Catalepsiæ certa, vel a seipsis tractata vel saltem spectata, memorant.

Catalepsia, quæ, ut supra observatum est, a CULLENO veluti species *Apoplexiæ* habetur; in systematis SAUVAGII et SAGARII, in classe *Debilitates*, et ordine *Comata*, collocatur; FRANCK eam *Convulsionem* esse ducit; VOGEL inter *Adynamias* posuit; et demum, LINNÆUS classi *Motorii* et ordini *Spastici* relegat.

Accessionem ejus sæpe antecedunt dolor capitis, sensus constrictionis in colli musculis, stuporque generalis; aliquando tamen subito invadit, ægroque, dum in muneribus solitis versatur, supervenit. Exemplum ejus accessionis repentinæ quondam memorabile, in puella juniore circa ætatem undecim annorum conspexi; apud medicum utriusque nostrum amicum Londini habitabat, et

quamvis habitus debilioris esset, valetudine tamen haud mala, paroxysmis absentibus, fruebatur; hi vero in positu quocunque aggrediebantur; et qualemcunque corporis gestum sub ipsum aggressionis initium haberet, et qualiscunque esset natura occupationis, in statione eadem, quatenus ad ipsius potestatem spectabat, fixa et immota statim fiebat. In duobus paroxysmis diversis eam vidi; alter, dum conclave transibat et aliquid vestis suæ circa cervicem componebat, invasit, cum per minuta horæ quinque fortasse, immota, velut statua, constitit; nec multa forte animi attentione et oculorum obtutu digniora unquam spectavi. Alter, dum mensæ accumbebat, aggressus est, et tum quoque indicia, si corporis situm eo tempore excipias, omnia eadem sese ostenderunt. Remissione accedente, omnium quæ acciderant semper oblita fuit, et statim sermonem, quasi nihil evenisset, invicem suscipiebat. Hæc postea convaluit et scholam adiit; at invasiones repetitas, quæ aliæ post alias sæviores denuo anno ætatis tredecimo morte abripiere, expertam esse accepi.

In omni fere exemplo, inter paroxysmum, plerique sensus, si non omnes, perturbantur; oculi, si aperti sunt, etsi lumine advecto sese contra-

hunt, sensu tamen penitus carere videntur; quod ad res discernendas attinet, visus intermitti apparet; at gustus et olfactus, si quibusdam auctoribus fides sit habenda, præcipue rebus ingratis et foetidis cieri possunt; in exemplo, porro, a me jamjam enarrando, appetitum cibi etiam voracem fuisse inveniemus. Catalepticos nonnunquam loqui, bibere, et comesse, a FORESTO et HOFFMANNO notatur. Musculi affecti in statu constrictionis, quocunque situ membrum jaceat, permanent; respiratio et sanguinis circuitus convenienter naturæ fiunt, neque vultus multum, nisi strabismo, mutatur. In quibusdam veruntamen sensus perfecti perstant, dum motus voluntarius omnino intermittitur; adeo ut, quamvis catalepticus, quodcunque agitur, sentiat, neque tamen loqui, neque se movere, neque sensus suos neque desideria referre queat.

Exemplum hujus mali maxime insigne traditur*, ubi foemina mentis facultatum prorsus compos, at musculorum omnium impos jacebat. Tanta hujus miseria fuit, ut de se, quasi mortuâ, a medicis desperari audiret, sese distentam digitis

* DUNCAN'S Med. Comment. vol. x. p. 242.

pedum colligatis, mentoque ligato, sentiret, cæteraque ad exequias suas peragendas ab amicis parari perciperet; neve ullum indicium vel levissimum se vivere et sentire proferre valeret.

M. PETETINS, Lugdunensis*, exemplum morbi, quod varietatem hujus haberi, et Catalepsiam hystericam designari, cupit, enarrat, et verbis talibus definitionem edit: "Abolition réelle des
 "sens et apparente de la connoissance et du
 "mouvement, avec transport des premiers, ou de
 "quelques-uns d'entr'eux dans l'épigastre, à l'extrémité des doigts et des orteils, et pour l'ordinaire, disposition de la part des membres à recevoir et à conserver les attitudes qu'on leur
 "donne." Quantum observationis Domini PETETINS, sensus visus, gustus, olfactus tactusque ad stomachi ventriculum translatos fuisse, ubi acerrime sentiebant, memorat, proxime mirandum est. Præterea, si auctori credere licet, ægra, adeo non mentis inops fiebat, ut ea modo præter naturam frui videretur; illam enim organa sua interna perspexisse, formam eorum et motus accurate depinxisse, reditumque et diuturnitatem paroxys-

* PETETINS, Electricité Animale.

morum, et unumquodque comitaturum prænu-
tiasse asseverat. Quod vero multo magis miran-
dum est, si res extranea stomachi ventriculo vel
pedis pollicis admota esset, eum, qui hoc admo-
veret, responsum cujusvis quæstionis, etsi susurro
tantum prolatae, vel etiam solummodo cogitatae,
accepisse affirmat.

Qualiscunque fuisset substantia epigastrio vel
digitis manus vel pedis extremis applicata, per-
ceptio ejus statim in sede cujusque sensus solita
perspicua evasit, et voluptatis vel molestiæ sen-
sum pro natura rerum admotarum ostentabat;
exempli gratia, siquando aliquid grati saporis
epigastrio admoveretur, organa actionis mandu-
candi agere incipiebant.

M. PETETINS fluidum electricum in phæno-
menis physicis et mirabilibus in Catalepsia no-
tandis, maximum valere opinatur; et si, sub ac-
cessionibus, nervi organis sensuum proprii hoc
fluido haud afficiantur, id, quia in iis aliter ac in
suis conductoribus movetur, accidere censet;
itemque indolem peculiarem nervis inesse arbi-
tratur, quæ huic fluido modos impertiat, vim ejus
expansivam compensat, et in hac textura quodam-
modo defixa est, quæ mobilitatem ejus nimiam

temperet. Secundum eum, tamen, cataleptici situm cum rebus vicinis relativum habent, et ab iis impressiones accipiunt. Sensum internum esse autumat; quæ sententia ex notione tali oritur, partes vitæ organicæ omnes effectum in sensorium edere, qui porro per nervos parium sexti et octavi transmittitur.

Catalepsia plerumque fœminas aggreditur; aliquando vero, ut supra observavi, mares quoque invadit. Causæ ejus excitantes præcipuæ sunt, animi pathemata vehementia, veluti mœror nimius ex morte amici, metus, cogitatio abstrusa in studiis, scilicet, gravioribus, amor nimis ardens, vel infelix, superstitio religiosa. His a variis auctoribus adjiciuntur vinolentia, vermes, ventriculi vitia, evacuationes solitæ suppressæ, læsiones capitis, plethora, voracitas. Aliæ quoque causæ in medium vocantur, at nimis absurdæ, ut in eas animum vel paulisper conferamus.

Quod ad causam proximam attinet, in hoc haud secus ac in cæteris generis nervosi morbis, mentis acie solum attingitur. **WHYTE** celeb. morbum de quo agitur, ab aliquo animi affectu cerebrum nervosque turbante, vel ab acri quovis eadem directe aut per consensum cum ventriculo, intesti-

nis, utero aliave parte sentiente qualibet afficiente, oriri posse, contentus est dicere. Hoc vero nulla explicatio certe est phænomenorum proximorum hujus affectus singularis; nihil aliud profecto est, nisi conspectus compressus causarum excitantium, quas jam enumeravi. M. PETETINS, ut opinor, modo philosopho digniore, rationem sensuum in Catalepsia suppressorum a compressione nervorum, qui organa horum adeunt, fortasse a vasis sanguiferis eos circa cranii basin amplectentibus, affectorum, petivit.

Hæc causa, ut illi visum est, copiam fluidi electrici in cerebro majorem congerit, vitalitatem ejus et sensum auget; nervique ideo a compressione ulla immunes excessum ejus recipiunt, magisque mobiles evadunt.

Quoniam Catalepsiae curatio, in causa, inter remissiones, tollenda præcipue constat, ut hoc consilium feliciter peragatur, de origine notitiam certissimam habere prorsus necesse est, neque enim, hac bene comperta, ratio medendi difficilis fiet. Inter remedia plurima ab auctoribus prolata, acida, corticem, cuprum, auram electricam, terrorem, ustionem, valerianam, vesicatoria, olea volatilia, musicen, venerem, venæsectionem receu-

sita invenio. Multa ex his in morbi conditionibus diversis procul dubio prosunt; non vero mihi in animum venit hæc fusius describere; id enim, ut varios mali status talia postulantes explicarem, requireret, quod neque natura neque limites hujus tentaminis sinunt.

Mihi plurima de re præsentis sic generaliter præfato, proximum est, ut ad exemplum illud jam dictum proponendum progrediar, quod mihi tractandum evenit, dum illi institutioni egregiæ et bene rectæ, Publico Dispensario Edinburgi Partis Recentioris vocatæ, discipulus aderam; quæ porro a medicis tali muneri et animi dotibus et studio aptatis, ordinata, quam maximum beneficii urbi ipsi distribuit, et sic pariter ac regularum ad discipulos spectantium liberalitate, schola medicinæ practicæ exstat, cujus merita, ab iis solum, qui beneficia forte beata participarunt, ad plenum æstimari possunt.

Mens. Octob. 3^o. an. 1824.—Jacobus Dixon, annos quatuordecim natus, in loco cui nomen "*Forsyth's Close, Canongate,*" domicilium habens,

compagine gracili, at, ut videtur, valetudine secunda fruens, qui porro patri olitori minister adest; de dolore leni et hebetate in capite ad verticem relato, itemque de molestia in regionibus epigastrii et umbilici, sub pressura nonnihil aucta, conqueritur. Alvus astricta est, nihil ab initio mensis reddito; cutis frigidula et humida; lingua radicem versus, et in medio albior; pulsus ad 80 in horæ minuto et secundum naturam micans; statum animi turbatum, ingeniumque nubilum ostendisse fertur, ob mœrorem morte, creditur, sororis effectum, quæ tribus abhinc hebdomadis Hydrocephalo acuto succubuit, dum Dr CULLEN et ego ipse medebamur. Caput sororis mortuæ ante funus, fratre præsentate, incisum est, quod tantum illi angoris afferre videbatur, ut eum dimitti jubere cogeremur.

Mater pueri nos certiores fecit, hunc post mortem sororis maximum domi suæ fastidium monstrasse, neque unquam, nisi coactum, inibi mansisse, idque pro temporis spatio quam exiguo; sæpe ante, æque ac post eventum memoratum, de dolore in capite conquestum esse, et aliquamdiu levioribus epistaxeos aggressibus obnoxium fuisse, præsertim si unquam plus solito sese pronum in-

clinaverat. Hodie, vespere, tria grana calomelanos et quinque extracti colocynth. compos., et cras mane dimidium unciae sulphatis magnesiae, scrupulumque jalapae convolv. devorare jussus.

Octob. 4^o. Circa nonam P. M. horam, ægrum quasi convulsionibus correptum mortique propinquum, visere accersitus sum: nihil temporis certe prætermisi, et in transitu Doctori CARNEGÝ ex medicis Dispensarii forte occurri, qui rogatus, benigniter comitatus est. Cum advenimus, puer convulsionibus liber erat, et penitus quietus et tranquillus videbatur; neque pulsus quicquam mali indicabat, responsionesque rationi consentaneas omni modo interrogatus reddidit; attamen de dolore in capite adhuc querebatur; levis quoque oculi dextri strabismus erat, et appetitus cibi defecerat. Medicamenta heri assumpta fæces copiosas fœtidas et profunde coloratas, misturæ quoque diversæ, dejecerant.

Statim sanguis ad uncias decem detractus est, unde nausea supervenit, pulsusque plane affectus est. Pulvis idem ac heri hac nocte sumendus, præscriptus est, et cras mane haustus infusi sennæ copiam sulphatis magnesiae continens.

Octob. 5^o. 11. A. M.—Hodie adventu meo mater tristissima accessit, et filium suum inquietum, convulsum, et, ut ipsi videbatur, sine sensu, per partem noctis majorem fuisse affirmavit. Eum porrectum, et immotum, nisi oculis, qui modo velocissimo, ferocissimo et maxime insigni ad latera diversaolvebantur, jacentem inveni; pupilla lucis stimulo parebat, interdum etiam quasdam ex rebus circumstantibus agnoscere apparebat. Plerumque tamen somno sopitus videbatur; si quando autem una palpebrarum vi aperta est, sic perstitit, oculus circumvolvebatur, et altero, brevi, sese aperiente, ambo, quasi ab aliqua re in lecto conspicienda fascinati, immoti facti sunt. Jam primum observavi, si digitum manus utriuslibet deflecterem, eodem statu remanere, et contra si extenderem: crura et brachia quoque eandem speciem præbere, modo, etsi minime naturali vel commodo, deflexa vel extensa. Amplius de natura affectus dubitare nequibam, præfectisque institutionis supradictæ, ægrum saltem specie Catalepsisæ laborare, enuntiavi.

Pulvis haustusque nullum effectum præstiterant; pulsus calorque superficiei prorsus naturales erant; lingua uti jam antea descripta. Rebus

sic se habentibus, quatuor grana calomelanos decemque extract. coloc. comp. statim assumenda præscripsi.

3. P. M. Ægrum statu penitus eodem inveni, nihil, nisi ut famem, quæ maxima fuisse videtur, modo valde incerto, exprimeret, locutus erat. Cibum sive quicquid aliud labris admovetur, aviditate summa, oreprehendit, adeo ut, inter pasendum, cura, ne digitum pascentis morsu vellat, valde necessaria est; potum simili vehementia arripit, et sæpe pocula vel vasa alia hunc contentia dentibus infregit, quod postea, potu in vase stanneo oblato, prohibitum est. Maxilla, quasi actione manducandi occupata, perpetuo agitatur. Pilulæ meridiæ assumptæ mox per os ejectæ fuerunt, ideoque jam quinque grana calomelanos decemque aloës, cras primo mane repetenda, haustu sennæ sulphatisque magnesiæ successuro, devorare jussus est.

Octob. 6^o. 11. A. M. Omnia symptomata aliquantum exacerbantur. Musculi insigniter vi externæ parent, et strabismus oculi dextri auctus apparet, qui haud secus ac sinister motu perpetuo, feroci, et abnormi, convolvitur. Motus, nescio quis, capitis retrorsum, antrorsum et latera ver-

sus, super pulvinari agitationes rapidas et breves peragentis, observatur, et jam mihi omni sensu carere videtur. Paulo post, quum sese movere sensi, ad lectum accessi, et aliquid de valetudinis conditione interrogavi; me statim agnovit, et se melius sese habere, nullum dolorem in capite, attamen in ventre aliquem sentire affirmavit. Cum tunc calamum in manu haberem, eum ostentavi, nomenque ejus inquisivi; virgultum nominavit; numisma argenteum nominandum obtuli, at frustum stanni vocavit; graphii thecae vero nomen verum imposuit.

Jam panem offerri jussi, et, quod mihi mirum apparuit, quiete manu accepit, et tranquille et moderate comedit; denique morbo, præter strabismum, vacuus omnino videbatur. De sensibus speciatim interrogavi; se nonnunquam quid diceretur scire, respondit; susurro, quoque (matrem exaudire nolens), se plerumque sororem circa lectum colludentem, at aliquando quasi emortuam, conspexisse dixit.

Pilulae nullum effectum præstabant, noctemque inquietam agebat; pulsus ad 97; calor cutis naturalis; lingua munda et madida. Enema com-

mune, oleique ricini dosim, per os, usurpandum præcepi.

7. P. M. In priorem conditionem, postquam mane accessi, novies vel decies relapsus erat; at jam bene intelligit, responsionesque rationi convenientes, quamvis tarde, reddit. Artus inferiores adeo rigide porriguntur, ut summa difficultate deflecti queant; at vis ad eos flectendos admota, nullum dolorem ægrotanti affert. Rursus cibum vehementer corripit. Præter enema oleumque ricini, dosin sulphatis magnesiæ infusique sennæ assumpsit; hæc vero omnia cathartica tantummodo unam dejectionem parcam et putrescentem deduxerunt. Caput dolore liberum est, at abdomen adhuc dolet; pulsus ad 96, mollis et debilis; lingua ut antea. Haustus sennæ et sulph. magnes. donec alvus levaretur, repeti mandatus est.

Octob. 7^o. 11. A. M. Noctem inquietam, habuit; circa horam mane primam convulsionibus correptus est, quæ ad minutum post quartam trigesimam usque instabant, per quod temporis spatium tres homines eum in lecto continere vix poterant. Sex dejectiones liquidas per noctem habuit. Hoc mane plane quietus est, et responsiones rationales edit; artus tamen adhuc quam-

cunque flexuram accipiant, eandem pertinaciter retinere durant. Appetitus vorax permanet, semperque cibum generis diversi avide flagitat. Capite raso, vertici emplastrum vesicatorium, temporibusque hirudines duodecim, apponi præcepta sunt.

7. P. M. Pronus jacet, et præ dolore vesicatorio capiti apposito, ut opinor, exorto, clamat. Hirudines non bene successerunt, tres enim solummodo adhæserunt. Inter horam duodecimam et primam, alterum paroxysmum, qui per minuta horæ viginti duravit, per quod tempus sensu caruit, expertus erat. Fames ejus non expleri potest; subinde artocreata fructusque, at potum raro, postulat. Alvum postquam mane vidi, semel dejecit; urina, quæ limpida et pellucida est, libere redditur; pulsus ad 104, mollis et vis mediocris. Pilulas aloëticas hora somni assumpturus erat.

Oct. 8°. Noctem quietam transegit, et hodie, se melius, tranquillum jacentem et animi facultatum compotem, habere videtur. Non usque ad mane cibum rogavit, et moderate et e manibus suis comedit. Strabismus in melius verti apparet, at, pariter ac cæterorum musculorum rigiditas, usque adhuc observari potest. Jam vero, etsi

difficulter, situm cujusvis corporis partis mutare valet. Vesicatorium suo munere bene functum est; unam dejectionem parcam habuit; pulsus ad 96, mollis et vis mediocris; lingua munda et madida. Sex drachmas olei ricini statim devorari præscripsi.

3. P. M. Oleum ricini duas copiosissimas, stercoreis colore cineritio indurati et foetidissimi, dejectiones effecit.

Tres pilulæ aloëticæ ad cubitum sumendæ sunt.

Octob. 9^o. 11. A. M. Post horam secundam bene dormivit, at convulsiones semel redierunt. Adhuc artocreata fructusque desiderat, sed e manibus suis, et modo quo decet, assumit. De dysuria queritur, neque urinam, post horam heri quartam, libere reddidit, quod fortasse vesicatorio attribui potest. Erectus stare nequit, et, nisi sustineatur, statim decedit; iterum alvum deplevit; pulsus ad 95 durior; calor cutis naturalis.

Oleum ricini iterandum, infusumque lini usitatissimi libere potandum.

8. P. M. Duas ingentes dejectiones, iis oleo ricin. heri effectis similes, habuit: penitus tranquillus est, et sensibus potitur. Convalescere videtur; mens autem cogitationibus de sorore mor-

tua adhuc turbatur. Illam in somnis sibi in arca ampla apparuisse, et exinde a homine aligero sublimem elatam fuisse affirmat. Se dolore vacare, et aliter sese bene habere, nuntiat. Pulsus ad 86, et æqualis.

Pilulæ repetendæ, hirudinesque duodecim capiti rursus admovendæ.

Octob. 10^o.—Nocte haud ita molesta fruitus est; in sedili suo vestitus et multo sanior est, musculorum omnium compos, et cum auxilio ambulare pollet. Tres solum ex hirudinibus adhæserunt; nullam alvi evacuationem, quamvis oleum ricini primo mane sumpserit, habuit; pulsus ad 110, parvus et acer.

Sex drachmæ olei ricini statim, tresque pilulæ aloëticæ ad cubitum eunti præcipiuntur.

Octob. 11^o.—Noctem gratissimam degit, et usque ad sanitatem recuperandam spectat. Rigiditas musculorum penitus decessit, nisi in oculo, ubi adhuc strabismus perstat. De debilitate tantummodo queritur; vultus nihil præter naturam ostendit; tres dejectiones ingentes, colore meliore, et minus fœtidas, habuit; appetitus modicus est, neque cibi peculiaris desiderium manet; pulsus ad 92, mollis et debilis.

Sex drachmæ olei ricini statim, pilulæque aloeticæ ad cubitum, sumendæ.

Octob. 12°.—Nulla Catalepsis symptomata redierunt; sed debilissimus est, et incessu multum titubat; appetitus secundum naturam perstat; alvus, post dejectionem hesternam astricta; pulsus ad 100, debilis; lingua munda, sed albior.

Dosis olei ricini jam memorata statim, tresque pilulæ aloeticæ vespere repetendæ. Duo cochlearia magna plena misturæ cinchonæ bis die sumenda.

Octob. 13°. Copiam stercoris quasi coagulati et fusco colore, et magis naturalis, ingentem, iterum deiecit. Non tam bene dormivit ob capitis dolorem, at morbo liber hodie rursus esse videtur. Pilulæ nocte hesterna per os rejectæ fuerunt. Pulsus ad 90 debilissimus, æqualis autem; lingua nitida.

Cinchonæ mistura continuanda; tres pilulæ aloeticæ in theriaca nocte devorandæ, et primo mane crastino olei ricini dimidium uncia.

7. P. M. Circa meridiem capitis dolore affectus est, qui ad horam secundam perstabat, ubi convulsiones supervenerunt, et tres homines eum in lecto continere vix valebant. Quicquid accidit

omnino ignorat, et quatenus mihi cognoscendi facultas erat, paroxysmus aggressum Hysteriæ refert.

m Cinchonæ misturam prætermittere, et lotionem frigidam ex aceto et aqua capiti semper admotam tenere oportet.

Octob. 14^o.—Nox sine convulsionibus transiit, et hodie se melius habet, jamque trans conclave haud ita male ambulare potest. Bis fæces alte coloratas dejecit. Appetitus bonus est, et nutrimenti partem maximam pulmentum avenaceum panisque constituunt.

Lotio continuari debet; tres pilulæ nocte, et sex drachmæ ol. ricini cras mane, ingerendæ sunt.

m Octob. 15^o.—Bene dormivit, et hodie se melius habet; duas dejectiones, speciei melioris, habuit; pulsus, &c. ut antea.

Pilulæ oleumque ricini iteranda.

Octob. 16^o.—Sub noctem paroxysmos quinque intra horæ spatium, nullo dolore vel alio signo ullo præmonente, quatenus cognosci potuit, passus est: postea bene dormivit, neque quicquam molestiæ hodie sentit. Duas dejectiones, iis jam descriptis haud absimiles, habuit; pulsus ut antea.

Oleum ricini prætermittat, et duas pilulas ter die sumat.

Octob. 17^o.—Se valetudine perfecta frui asseverat, et ad operandum exire vehementer cupit. Rursus fæces copiosas reddidit; pulsus ad 96; lingua speciem naturalem habet; vires corporis augmentur.

Pilulæ tres bis die adhuc usurpandæ.

Octob. 18^o.—Convulsionibus iterum sub nocte laboravit, quæ fere per horam, at leniores, perstant. Bis alvum copiose deplevit; se sanum omnino hodie mane nuntiat. Pulsus ad 100, plenior; lingua munda.

Pilulæ repetantur.

Octob. 19^o.—Vires usque acquirit, et heri in Prato Regio spatatus est. Ad opus suum redire permitti valde cupit. Semel alvum plene evacuavit. Pulsus ad 100, mollis et vis optabilis; lingua munda et madida.

Octob. 20^o.—Heri iter bis mille passuum confecit; noctem quietam transegit; convulsiones post diem hujus mensis septimum decimum minime redierunt. Duas dejectiones plenas, et omni modo saniores reddidit; pulsus ad 100, acrior; lingua munda et madida.

Olei ricini dosis statim sumenda, pilulæque sex die, duabus vicibus, devorandæ.

Octob. 21°.—Convulsionibus per noctem immunis erat; nihil omnino conqueritur. Heri per horam in Prato Regio ambulavit; viresque corporis multum auctas sentit. Bis stercus copiosum et sanum ejicit.

Pilulæ tres mane, et totidem nocte repetantur.

Jam invisere distuli, neque per hebdomadam ægrum conplexi; tum autem illum vires et sanitatem paulatim recipere, et uti solebat versari, certior fiebam.

Dubitationes de natura morbi, curatione supra dicta adeo feliciter superati, prolatum iri cognosco; nullum enim profecto Catalepsiæ exemplum unquam observatum est, quod non dubitationem, animis eorum præsertim qui nunquam conspexerint, attulerit. Hoc igitur præmetuens, ægrum meum quam plurimis medicis ostentare conatus sum; inter quos erant Doctores MONCRIEFF, et CARNEGIE, Dominusque WATSON, tres ex præfectis medicis Dispensarii supra memorati, qui omnes eam Catalepsiam veram auctorum esse credidere.

Quod ad curationem attinet, quam in parte dissertationis priori catharticam tantummodo esse monstravi, objici fortasse potest, hirudines bis admotas esse, et vesicatorium unum capiti appositum. Hirudinum, autem, tres tantum quoque tempore inhæserunt; has igitur ad curationem perficiendam aliquid contulisse, vix contendere queat. Neque profecto vesicatorium plurimum valuisse, dicetur, quum multa ex indiciis post id permanisse; morbumque aloë oleoque ricini pertinaciter et identidem exhibitis denuo concessisse, in memoriam revocamus.

Eodem tempore quo exemplum Catalepsiae supra descriptum, puellulam circiter annos sex natam chorea laborantem tractabam. Eandem medendirationem accurate, eventu felici in morbo compescendo, persecutus sum. Per sex hebdomadas, vero, forma leniori durabat, quum muneribus Dispensarii functus, ægram aliis tractandam reliqui: sed quoniam hæc puella pedibus nudis spatiari, vitæque genus male institutum sectari, aëri-que vitiato objici permissa est, periculum curationis illius æquum factum esse, vix dici potest.

FINIS.